

antecedentis; exquires quem in annum Juliana periodi, vel Christi competat. Quod si praterea data sit Indictio: quod superfluit de ultima divisione 532, per 15 divide, accommodata, si ita necesse est, integra periodo 15 annorum. quod inde supererit, retine, & indidem, aufer propofitam indictionem, accommodato, si opus est, integro numero 15. reliquum duc in 1064 & ad summam adice quod superfluit de novissima divisione per 532. Quod si summa major est, quam 7980, hunc ipsum numerum ex illa detrahe. Ita fiet annus ille, qui requiritur, ex quo in Juliana periodo proprium annum illius assequeris.

Exemplum: Chronicon Alexandrinum migrationem Israelitarum ex Aegypto statuit eo anno, qui cyclum habuit Solis 2, Lunæ 19, cum Indictione 13. Quæro quotus ille computi Græci fuerit, & quidem Constantinopolitani. hunc enim iste auctor adhibet. Primum editis cyclis Solis ac Lunæ, ducendus est cyclus Solis 2 in 57, fiunt 114. Tum cyclum Lunæ 19 de integro cyclo ejusdem Lunæ subtrahens, residuum habeo 19. quem numerum per 56 multiplico. Confiunt 1064. quam summam ad priorem adjicio 114, ut fiant 1178. quibus per 532 divisit, reliqua fiunt 114. Proinde Chronicon Alexandrinum 5320 confert in annum 114 periodi Victoriniane. Ut autem scias quotus sit idem computi Constantinopolitani, conjectura opus est. Quoniam igitur Græci ex LXX Seniorum fide annos vulgo numerant ab Adamo ad Diluvium 2242. & à Diluvio ad Abraamum 1172. summa colligitur ab Adamo ad ortum Abraami, annorum 3414. Hinc autem ad migrationem ex Aegypto putant annos circiter 505. Quare colliguntur anni ferè 3919 ab Adamo ad 5320. Ut accuratum annum habeas Alexandrini Chronici, quare in tabula VI annum proximè minorem eo, quem suspicaris. qui ut major est anno 3724; ita minor 4256. Quocirca annos periodi Victoriniane 114, adde ad 3724, efficies annum 3838, qui divisus per cyclum Solis, ac Lunæ reddet Solisquidem, cyclum 2, Lunæ verò, 19. quod erat propofitum.

Rursus si præter duos illos cyclos, Indictio data sit, 13, numerum 114, qui postremò relictus est ex divisione per 532 instituta; per 15 partior. restant 9. de quo, additis 15, subtraho 13. reliqua fiunt 11. quæ si ducantur in 1064, summa erit 11704. ad quam adice 114. & ex toto 11818, quoniam 7980 excedit, hisdeductis, relinquatur annus 3838. à quo ablatis 795, existit annus in Juliana periodo 3043, qui respondet anno Constantinopolitano 3838. Hoc ut verum esse cognoscas, ex methodo canonis antecedentis, ad cyclum Solis 2 Constantinopolitanum, adde 17. ad lunarem 19, adde 3, & ad Indictionem 13, adde 0. conficies cyclos Julianos, Solis 19 cum littera E; Lunæ, 3, Indictionem 13. quæ omnia congruunt in annum Per. Jul. 3043, qui centesimus & quadragesimus est ante veram epocham Exodi, quam in annum Per. Jul. contulimus 3183. Et quidem Chronicon ait anno illo, quem numerat 3838, feriam I contigisse Aprilis XIII, eodémque die quartam-decimam Nisan incidisse; ut minime dubitandum sit, quin & aureus numerus fuerit 3, & cyclus Solis 19, litteraque Dominicalis-E.

Aliud exemplum: Chronicon idem annum conceptus Joannis Præcursoris numerat ab Adamo 5505, si à Martio annus inchoetur, Indict. XIV, anno imperii Augusti XXIX. quæ esse falsissima ex methodo nostra ita colligemus. Divisit annis 5505 per 28, relinquatur Solis cyclus 17. per 19 autem partitis, relinquuntur 14. Verum Indictio non XIV, sed XV confurgit ex divisione per 15. Queratur annus ille, in quem Ind. XIV cum cyclo Solis XVII, & Lunæ XIV concurrat. Primum ducto cyclo Solis 17 in 57, efficiuntur 969. tum ablatis 14 de 19, restant 5. quæ in 56 ducta fiunt 280. additis 969, summa producitur 1249, quæ per 532 distributa relinquit 185. Igitur annus cycli Victorini 185 ille fuit, quem Chronicon significat. Verum Indictio, quam adjungit, ratiocinia conturbat. Nam si reliquos illos 185 per 15 partiare, restant 5. de quibus ablata Indictione propofita 14, superfluit 6. quæ in 1064 ducta conficiunt 6384. Adde 185, existit annus 6569, qui cyclus exhibet, Solis XVII, Lunæ XIV, Indictionem XIV. Est autem annus Christi 1856. Vides absurditatem. Quamobrem non satis commendari metho-

das ista potest, quæ ad Græcorum annuum castigandos errores, præsertim Theophanis, majorem opinionem fractum afferret.

CANON IV.

Propofiti cujuslibet diei feriam in Græcorum computo pronunciare.

Invento cyclo Solis in utroque computo per canonem I, huic congruentes epactas mensuras adhibe ex tabula II cycli solaris. tum ex tabula III epactas mensuras require. atque ad sui generis concurrentes appone, hoc est ad concurrentes cycli æræ Alexandrinæ adde regulares computi Alexandrini. ad concurrentes verò computi Constantinopolitani, regulares ejusdem. Demum ad conflam inde summam, & mensuras, hoc est diem mensis adice. Quod inde conficitur, per 7 divisum, feriam demonstrabit.

Exempli gratiâ: Sit annus computi Alexandrini 7034, Constantinopolitani verò, 7050. Prioris cyclus per canonem I confectus est VI. Concurrentes ex tabula II, sunt 6. Velim scire feriam diei IX Aprilis. Regulares Alexandrini ex tabula III colliguntur 7. quibus ad 6 additis cum 9 diebus Aprilis; summa est 15. Proinde feriam dico fuisse I. Rursus evelus anni 7050 Constantinopolitani per eundem canonem deprehensus est 22. Concurrentes 5. Regulares Aprilis in secundo versu regularium Tabulæ III sunt 1, qui cum 5 concurrentibus, & 9 diebus Aprilis componunt 15. ad eoque feriam I.

Experiamur an rectè positis sit calculus per characterissimum annorum Christi, vel periodi Julianæ. Annus Alexandrinus 7034, detrahis 779, invenitur periodi Julianæ 6255. qui & idem provenit ablatis 795 de anno 7050 Constantinopolitano ex methodo canonis II. Sed & idem anni conspirant in annum Christi 1542, si ex Alexandrino abjecero 5492, & è Constantinopolitano, 5508. At tam annus Per. Jul. 6255, quam Christi 1542, obtinet cyclum Solis Romanum XI, cui ex Tabula II competit littera A. Igitur verissime pronuntiata est feria I Aprilis IX die: quemadmodum Græcorum Horologio legitur.

CANON V.

Ætatem Lunæ in dato quolibet anno ac die utriusque computi deprehendere.

Postquam cyclum lunarem, per canonem primum repereris; cum eo adi tabulam IV; cujus in primo versu cyclum tuum requirito; tum è directo epactam illi respondentem. Si Alexandrini computi proprius est inventus à te cyclus, epacta illi respondens est ea, quæ Maximi dicitur. Constantinopolitano verò tribuitur altera, quæ Isaac inscribitur. Confer te deinde ad Tabulam V regularium Lunæ; & propofiti mensis regulares computi cujusvis proprios excerpe. Summam ex epactis, & regularibus conflam auge dierum numero, cujus in ultimo ætas Lunæ requiritur. Collecti dies illi, ac per 30 divisit, quota sit illo die Luna monstrabit.

Exemplum; Propofitum sit investigare quota Luna sit Aprilis 2 anni 7034 Alexandrini computi; & 7050 Constantinopolitani; quorum cyclos lunares confectus canone I; illius quidem 4; hujus I. Igitur cum cyclo Alexandrinæ æræ 4, in tabula IV, invenio epactam XII. In tabula V, regulares Aprilis 0. Proinde epacta 12, & Aprilis dies 2 Lunam decimam-quartam offerunt illo die. At annus 7050 Constantinopolitanus epactas in IV tabula XI obtinet. regularem in V tabula, I. fiunt XII, & cum bido Aprilis, XIV. Sanè in Horologio Græci Lunam illo anno decimam-quartam computant Aprilis secundo.

CANON VI.

Terminum Paschalem sive Pascha Judaicum, ejusque feriam in utroque computo reperire.

Cum cyclo lunari canone primo deprehensio aditabulam IV. In primo versu cyclum tuum accipe; & ex

& ex directo Paschalem terminum, cum ejus regularitatem in Alexandria æra, quam in Constantinopolitana. Exinde concurrentes cycli Solis anni propofiti per canonem IV inventos, cum regulari Termini compone. Summa feriam dabit, adjectis septem. Ut anno eodem Alexandrino 7034, cyclus Lunæ IV in tabula respondentem habet Terminum Paschalem Aprilis 2, cujus regulares sunt 2. Cyclus Solis VI concurrentes itidem dedit 6 per canonem IV. Ambo collecti feriam I exhibent.

Sic anno Constantinopolitano 7050, Cyclus Lunæ I Terminum offert in Tabula IV, Aprilis II, cum regularibus 3. Cyclus Solis ex can. I fuit 22. concurrentes 5. qui cum regularibus ostendunt feriam I. qualem Græcorum Horologio demonstrat.

CANON VII.

Pascha Christianum, ac præcipua Græcorum festa quovis anno definire.

Paschali Termino per superiorem canonem animadverso, ejusque feria; si Dominica fit, in sequentem Dominicam diffunditur. Si alteram in feriam Terminum incurrat; proximè sequens Dominica Pascha Christianum obtinebit. Invento Paschate; festa reliqua nullo negotio reperies. Hæc methodus & per se facilis est, & capite superiori hujus libri continetur.

CAPUT XIV.

De certorum hominum Paschali computo ac methodo, quos S. Maximus πενταδύτης, & ἑξαδύτης nominat. nos undecuplatores appellamus. quarum ratio propè inextricabilis vixit Scaligeri, facillimè declaratur. De istis error Scaligeri.

MAXIMUS Martyr primæ partis computi, cap. XI, & XII; ac tota secunda parte contra certos computi artifices disputat, quos πενταδύτης, & ἑξαδύτης vocat; hoc est quinquies, & sexies annos cycli lunaris multiplicantes. vel, ut uno verbo id exprimat, undecies. quorum methodum secunda parte proponit; sed obscure, ac perplexè; ut difficile sit quid sibi velit assequi. quod & Scaliger lib. II de Emend. Temp. statetur, cap. de falso cyclo Paschali. Nos tamen aspirante Deo, & ejusdem sanctissimi martyris precibus adjuvi, tricas istas omnes pervicimus, ac totam illam methodum exploravimus. cujus hinc scientiam studiosis adolescentibus impartimur. Nam non solum ad explicandum Maximi computum hæc à nobis opera requiritur. sed est etiam ad Constantinopolitani computi, quem supra declaravimus, illustrandam originem aptissima. Primum itaque quæ diversis locis de illis Maximus tradiderit, in unum colligemus.

Πενταδύτης ἑξαδύτης, quem saltem Luna vulgaris computi nominant, ait capite undecimo primæ partis ab illis conferti in annum cycli XI, qui est XIV Græcorum, & Romanorum. cujus Neomenia cæpit Decembris ultimo. annus ipse verò definit in Decembris XVIII. Unde sequens annus, qui cyclo affectus erat illorum XII, Catholicorum XV, à die XIX Decembris inibat; ita ut Luna XIV caderet in Kalendas Januarias. Quare annus cycli undecimus apud undecuplantes istos. (sic enim appellare mihi liceat;) sive decimus quartus orthodoxorum, diebus constabat trecentis quinquaginta tribus; ac diei unius suppressio fiebat Decembris XIX: siquidem Neomenia cycli illorum XII, nostrorum XV, à XX Decembris, cui ex Alexandrinorum præscripto erat affixa, ad XIX transferebatur; ut unus ille diffimularetur dies. ac tunc decimus nonus Decembris numerari bis solebat, ut tam antecedentis postremus putaretur, quam primus sequentis. Rursus cap. XII refert, illos ad exemplilem diem compensandum, singulis annis addere sexagenaria scrupula quinque. & sic annis duodecim diem integrum colligi. ac demum eos ipsos ad amorum Adam computum annos XVI adjicere.

In secunda verò parte computi methodum illorum tribus figuris explicat. hoc est rotæ una, & laterculo, vel canone duplici: quorum alter ad sinistram; alter ad dextram rotæ descriptus erat. sed propter angustias

chartæ supra ambos rotæ constituta est. Ex hac porro methodo constat cyclum lunarem apud istos ternario minorem fuisse Græco, vel Alexandrino; qui idem & Romanus fuit. & primum undecuplantium esse Alexandrinorum quartum. horum verò primum illorum decimum septimum. At Solaris cyclus ita se habet, ut undecuplantium primus sit Græcorum, qui Alexandrinum computum unum de duobus adhibent, quos superius exposui, decimus tertius. Ideo, cum cyclus Græcorum Alexandrinus primus respondeat sexto cyclo Romano, ut cap. V hujus libri demonstravimus; primus undecuplantium erit Romanus decimus octavus.

Caput illorum methodi, ac præcipua reprehensionis Termini feges apud Maximum in terminis, sive quartis decimis Paschalibus consistit, quod illi easdem dies, quæ ab Alexandrinis, & Catholicis numerabantur decima quarta, sæpius decimas quintas, vel sextas decimas putabant. quod ut via, & ratione facerent, propofitum quemlibet annum cycli sui primum per quinque, deinde per sex multiplicabant; hoc est in totum per undecim. tum ad summam inde conflam dies adiciebant; qui à Kalendis Januarius ad terminum Paschalem illius anni numerabantur. Rursus quot ii dies erant à Kalendis Januarius ad terminum, tot sexagesimas unius diei capiebant. ad quas toties quinque alias sexagesimas diurnas adiciebant; quotus annus cycli putabatur. summam sexagesimarum per 60 partitam in dies redigebant. quos ad priorem *quædam* dicrum accensebant. Hoc modo dies eadem, quæ quarta decima Nicæna erant, quinta decima sæpè, hoc est in annis XIII; semel sexta decima numerabatur, in anno decimo sexto cycli. in ceteris hoc est in I, II, III, IV, & XVIII, quarta decima putabatur. Hinc illud eveniebat, ut Pascha ex eorum ratiociniis Luna XXII, vel XXIII celebraretur; alias autem cum catholica regula conveniret. Quod antequam usu ipso, exemplisque declaratur; schematum trium, quæ in II parte descripsit Maximus; rationem reddemus.

In cyclo Victorini, qui est annorum 532 (hic enim præfens ad institutum assumitur) cycli sunt lunares; sive enneadecæterides octo & viginti: solaris item cycli, vel *enneadecæterides*; novemdecim. In rota, zonæ, vel circuli sunt novem. Primus, & extremus cyclum solareum continet, qualis adhibetur à Maximo; qui est Alexandrini Græcorum computi proprius. Secundus orbis epactas Solis, sive concurrentes habet. Tertius bifextilis notat. Quartus, annos cycli solaris undecuplantium; qui sic prioribus respondent, ut primus undecuplantium sit istorum decimus tertius, atque ita deinceps. Quinque orbis reliqui annos continent cyclis solaribus & lunaribus notatos, in quibus terminus Paschalis, sive quarta decima Nicæna, quinta decima, vel sexta decima putatur ab undecuplantibus. Ita porro dispositi sunt interiores illi quinque circuli, ut cuilibet anno cycli solaris in quarto circulo, cellæ duæ subjæctæ sint cujuslibet è quinque circulis. Harum cellarum, quæ ad laevam est, cyclum Solis; quæ ad dextram, cyclum Lunæ complectitur. Cycli verò Solis in quarto circulo indices unâ sunt enneadecæteridum; ad quas subjæctarum cellarum cycli solares, lunaresque pertinent. Exempli causâ sit A; id est primus cyclus solaris undecuplantium in quarta zona, cui respondet in prima cyclus *quædam* id est XIII Alexandrini computi. Huic in quinta zonâ duæ cellæ respondent; quarum altera sinistra cyclum Solis habet B, id est 9. dextra quoque cyclum lunarem 9. quo significatur, in anno eo primæ enneadecæteridum, qui cyclo Solis, & Lunæ IX præditus est, Lunam decimam quartam Nicænam ab undecuplantibus putari XV. Quod quidem duplici de causa poterat fieri. Aut enim propter intervenientem bifextili diem; aut propter sexagesimarum diurnarum epilogismos accidit. quibus annis bifextilis id efficiebat, iis singulare punctum Maximus adscripsit: ad eos autem annos, qui propter scrupulariam rationem idem obtinebant, duo puncta notaverat. tria denique ad eos annos, in quibus decima quarta putabatur sexta decima. Sed ea puncta à librariis omiffa erant in apographo. neque nos in illis restituendis anxiam magis, quam utilem operam navare volumus. præsertim cum ex methodo nostra de quolibet anno constare possit, an ejus XIV sit XV, vel XVI. Sed Maximus admonet non omnes eos annos in interioribus V orbibus adnotatos esse; in quibus XIV Nicæna fit ex undecup-

